

I 2 W

L 6 0 5

✓ 00/5

ark. M. 396.

Gesner, Sal. Belg. disputationes

—(40) Hoe, m.

K. IV. 31.

Rupertus Niesnig acceptil
Jacobo Tappio.

confit. 1. 13. 7.



DISPUTATIO V.

PRO EXAMINE CONCILII TRIDENTI

NI A DN: D. MARTINO CHEMNITIO
conscripto, opposita secundo Decreto
Quartæ sessionis,

Continens VI. Capita.

- I. De Occasione & statu præsentis Disputationis.
- II. De Versionibus Bibliorum in Linguas populares.
- III. De Vulgatâ editione Bibliorum.
- IV. Penes quem sit authoritas interpretandi atq; iudicium.
- V. De Medijs quibus verus scripturæ sensus indagatur.
- VI. De Interprete scripturarum.

*Quam privatâ συζήτησι excutiendam
sub Præsidio*

SALOMONIS GESNERI

S.S. Theologiæ Doctoris & Professoris in Aca-
demia Witebergensi Pub: proponit

AXELIVS GOSTAVI OXENSTIERN
Nobilis Suecus.

Anno Christi 1602, die 10. Februarij.

2. Pet: 1. 20.

πᾶσα προφητεία γραφῆς ἐδιάβη πιλύσεως γίνεται

• 50 •

VVITEBERGÆ,
Typis VVolffgangi Meisneri,

ДАТА
ЕИИИАХЕОИ
ГОНОНІЯДІНІЛ

СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ

СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ

СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ

СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ
 СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ
 СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ
 СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ
 СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ
 СІМІЧІ СІМІЧІ АМІКІМІ

ІЯНІА ЗІ СІМОІІ

CAPUT PRIMUM.

De Occasione & Statu Præsentis Disputationis.

THESIS I.

Superioribus disputationibus evidenter satis ostensum est, quām istud Irenæi lib. 3. c. 2. Pontificij optimè conveniat ubi de Hæreticis, Cum ex scripturis, inquit, arguuntur, in accusationem converiuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex autoritate, & quia varie sint dictæ, & quia ex his veritas non possit inveniri ab his, qui nesciant traditionem &c.

II.

Eadem plane audacia Pontificij in Scripturarum accusationem & blasphemam Cavillationem ab hæretico suo spiritu excitati feruntur, Ac quia scripturam ambiguitatis & obscuritatis insimulant, idcirco ut animi vota eō facilius & minori negotio assequi possint, multa de scripturarum nugantur versionibus; Insuper etiam interpretandi autoritatem sibi arrogant prorsus dictatricam.

III.

De hisce igitur duobus capitibus in hac nostrâ disputatione agemus, & quidem primo de scripturæ versionibus; in quo due questio[n]es præcipue agitantur 1. Vtrum scriptura in linguis vernacularis & populares sit transferenda. 2. An vetus illa & vulgata (uti dicitur) versio sit pro authentica habenda, sive quod idem est, ipsis fontibus & quanda vel etiam preferenda, ut ab hac ad illos in disputationibus, lectionibus, prædicationibus & expositionibus provocari nequeat?

CAPUT SECUNDUM.

De Bibliorum in Linguis populares versionibus.

IV.

Primam vero quod attinet Controversiam, Adversarij
A. 2 nostræ

noſtri aſtutè ſanè Negativam tuentur, ut ſcilicet auditores ſuos, quos Laicos appellant, à ſcripturarum lectione arceant; Quorū hoc? ne videlicet ſcripturarum Lectio, ſi omnibus permitteretur, regnum Pape monstratis erroribus deſtruat, & erarium aliquid deſrimenti capiat; Quām frivolis autem rationibus, in iþſa ſuꝝthoꝝ videbimus.

V.

Nos contrā Affirmatiuam defendimus, nimirum velle Deum ſuam verbum omnibus in eā lingua, quæ cuig, nota eſt, hominibus proponi, tradi, inculcari: Hanc, inquam, ſententiam propugnamus certis & firmis, quæ ſequuntur, rationibus innixi.

VI.

1. Christus ipſe filius Dei ſcripturarum versionem in vernaculaſ linguas ſuā authoritate conſirmavit, ſiquidem populuſ lingua Syriacā, quæ Iudei tum temporis materna erat, docuit; Et verbiſ ſcripturae in eodem Idiotiſmo, (utpote in quem paulo antè translata erant Biblia) in cruce uſus eſt, Matth: 27. 46. & Marci 15. 33.

VII.

2. Apoſtoli verò tum dictis, tum ſcriptis eam ſufficienter comprobarunt. In die namq; Pentecostes S.S. inflati varijs linguis locuiſ ſunt, Act. 2. omnesq; postmodum diuersarum linguarum populos proprio ipſis & vernaculo ſermone docuerunt: Scripta Novi Testamenti Græcē, cuius idiomatis maximus tum in orbe terrarum uſus erat, ediderunt; inq; ijs ſententias veteris Testamenti ex Græcā 72. interpretum translatione de- promserunt.

VIII.

Matthæus quoq; ut perhibet Hieronymus, in Catalogo Eccles: Scrip: Evangelium ſuum Hebræis lingua populari ſcrip: um reliquit, quam Syram & non purę Hebræam fuiffe, Iohannes Albertus V Viadmanſtadiuſ Ferdinandi Imperatoris Can- cellarius,

cellarius, magna inter Pontificios quoque authoritatis vir in Proemio Syriaci testamenti asserit. Clemens insuper Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. c. 13. testatur, Paulum, suam ad Hebreos Epistolam patro sermone scripsisse; Lucam autem vel Clementem illum Pauli comitem Phil: 4. 3. eandem in Gracum idioma, ut à Gracis legi posset, traduxisse, Eusebius lib. 3. c. 34. censem.

IX.

Itaq; quid respondebunt adversarij, cum & ipsi Christiani haberi velint, quibus ea, quæ Christus & Apostoli, qui immediate à S. S. regebantur Ioh: 16. 13. approbarunt haudquam licitum est reycere aut reprobare, nedum ea, quæ ipsimet fecerunt, ac proprio exemplo confirmarunt?

X.

3. Quin & nostram sententiam veram esse declarat totius antiquissimæ Ecclesiæ tam V. quam Novi Testamenti usus & perpetua praxis. Cum enim linguae ceteræ paulatim ab eâ, quâ cum Hebraicâ devinctæ erant, cognatione degenerare ceperissent; Et in Babyloniorum ac Chaldaeorum Persarumq; Monarchia, Chaldaicæ lingue usus latissime pateret, Daniel & Esdras quædam Chaldaicè seu Aramicè & Syriacè conscripserunt; & aliquando post paraphrasis Bibliorum Chaldaica exstitit: Deniq; Gracorum emergente Monarchiâ, inq; usum veniente per orbem terrarum linguâ Græcâ, libri V. T. in Gracum sermonem studio Ptolomei Philadelphi à 72. Assessoribus Synedrij Hierosolymitani translati sunt.

XI.

In N. autem Test: innumerabiles extiterunt Latine versiones, teste Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana c. 11. Hieronymus quoque Sacra scripturam in Dalmaticum sermonem transtulit; & Sextus Senensis lib. 6. Annot. 51. Chrysostomum ait in linguam Armeniam vertisse: Quin & Viphilam Gothorū

A 3 Episcopum

Episcopum in Gothicam transtulisse auctor est Socrates, lib. 4.
c. 33. Hæc tam̄ vera sunt ut ab ipsis Adversarijs non negari,
medium infringi possint.

XII.

4. Cum Deus non tantum Latina Lingua hominibus, ve-
rum omnibus, cuiuscunq; sermonis gentibus verbum suum an-
nunciari velit, iuxta mandatum Christi, Matth. 28. 19. Mar-
ci 16. 15. & exemplum apostolorum Marci 16. 20. idque ex
Scriptura dipromi & populo proponi iubeat, Deut. 17. 10. & 11.
& c. 31. 11. 1. Tim. 4. 11. Tit. 2. 15. Certè lingua peregrina &
ignota populo annunciari nec debet, nec cum fructu potest.

XIII.

Quod si igitur verbum Dei sermone populari predicare non
modo non est prohibitum; verum etiam ab ipso Deo præceptū
& iniunctum, Quis queso, nisi Antichristo Rom. adiurata co-
hors, affirmabit, Divina voluntati contrarium fore, si scriptu-
ra in notam & popularem Linguam transferatur? vel scri-
pturam Literis contaminari, cum etiam ab impuro hominum
ore proleta nihilominus immaculata maneat?

XIV.

5. Tandem nostram sententiam comprobabit, & calculo suo,
qui omni exceptione maior est, confirmabit summa illa cæle-
stis patris misericordia & amor erga genus humanum, qui cū-
ctos homines vult servari & ad agnitionem veritatis perve-
nire, 1. Tim. 2. 4. neminem vero perire, sed omnes ad pœni-
tentiam recipere, 2. Pet. 3. 9. Quapropter & omnes ad se vocat
Matth. 11. 28. tamq; solitus est de nobis, & nos fovet, non ali-
ter ac Gallina pullos suos sub alis suis, Luc. 13. 34. Neq; ulla me-
dia prætermittit, quibus nos lucrifacere possit. Hinc fit ut o-
mnes cuiuscunq; status & conditionis homines scripturā scru-
tari iubeat. Ioh. 5. 39. ut cognoscamus quod Iesus sit Christus il-
le filius Dei, & ne credentes vitā habeamus per nomen ipsius.

Ioh. 20.

Ioh. 20. 31. Populus vero quomodo scripturam scrutabitur nisi sermone populari sibi cognito?

XV.

Verum pontificij rimam facile, per quam se evadere posse arbitrantur, inveniunt; Neq; n. populo scripturarum Lectio[n]e concedent. Sed nos illam Tyrannidem, quam isti in Ecclesiam Dei exercent, detestantes, potius divine voluntati dicto audientes simus iubenti nos legem suam populo praelegere, Deut. 31. 11. & 12. & prcipienti in universum omnibus esse uocat[ur] τὸ γράφας, Ioh. 5. 39. & mandata sua in cordibus conservare, ea meditari sedentes, consurgentes, ambulantes, ipsis etiam insculpere postibus. Deut. 6. & 11. sicut & Psaltes Regius quilibet justum legem Domini, ait, meditari die ac nocte, Psal. 1. 2.

XVI.

Quin & Regi in specie iniunctum legimus, Deut. 17. v. 18. 19. 21. ut evolvat legem Domini cunctis diebus vita sua. Neq; hoc novum esse in Ecclesia testatur exemplum Berrænsium, qui doctrinam Apostoli Pauli ad scripturam exegisse leguntur. Act. 17. 11. Et totius Antiquissima Ecclesia usus & praxis.

XVII.

Faciunt v. Pontificij perinde ac si quis militem incermens in aciem educeret, quem omni procul dubio hosti interficiendum praberet. Status enim Ecclesie in hac vitâ perpetua est militia & certamen cum Dominis mundi, Rectoribus tenebrarum & spiritualibus astutijs in cœlestibus, Eph. 6. 12. Arma v. Ecclesie non sunt carnalia sed spiritualia, 2. Cor. 10. 3. & 4. Fides nimurum, Eph. 6. 16. 1. Thess. 5. 8. quæ ex auditu verbi nascitur. Rom. 10. 17.

XVIII.

Quin & ipsum verbum D E I est μάχαρα τὸ πνεύματος, Eph. 6. 17. quo non tantum ignita Diaboli tela excipiuntur, sed & ipse oppugnatur, 2. Corinth. 10. 4. tantamq; vim & efficaciam obtinet, ut etiam potentia roboris

Dicitur

Dei appelletur Eph. 6.16. 2. Cor. 10. 4. Ecclesia igitur Dei hisce (quibus solis Sathanas repellitur & expugnatur) armis spoliata & denudata quomodo insultibus eiusdem resistet? Quibus armis defensa in die temptationis consistere poterit?

XIX.

Denique vel probabilem aliquam rationem nobis reddant adversarij, ob quam Dominus libros veteris Test: in Hebraico Idiomate: Novi verò Testamenti in Graeco quam in alio conscribi maluerit. Certe haud reperient aliam, quā quod tempore veteris Testamenti imprimis vivente Abraham, & aliquot seculis post, summa fuerit Hebraicæ linguae cum alijs cognatione & affinitate, ut patet ex peregrinatione Abrahæ, Isaac, & Iacob: Et imprimis Gen: 31. 47. & 48. Et ex nominibus filiorū Jacob, quæ ipsis à filiabus Laban Syriaco sermone utentibus, imposita fuerunt. Sub. N. autem Test: nulla tam usitata fuit quam Lingua Graeca. Idcirco ut ab omnibus legi ac intelligi posset, visum est Deo hisce potius quam alijs linguis verbum suum scriptum Ecclesiæ tradere.

CAPUT TERTIUM.

De Vulgata editione Bibliorum.

XX.

Veniamus nunc ad secundam cotroversiam, in quæ queritur: Vtrum vetus illa & vulgata translatio simpliciter sit pro authentica habenda, ut ab illâ etiam manifestis deprehensis erroribus nullo modo recedere liceat? Adversarij nostri absque omni exceptione affirmant, adeo quidem ut eam non solum ipsis fontibus autoritate parem statuant, sed & quidam illorum iisdem preferendam censeant.

XXI.

Hoc nos, ut Christianos decet, in ipsos scripturae fontes impium & iniustum; Ecclesia verò minime tutum esse iudicamus.

miss. Idecirco cum cautione quadam respondemus, vulgatam versionem simpliciter à nobis non damnari aut reijci, cum multa in illa (quisquis tandem eius author fuerit; certò enim non constat) satis commode sint translata: nunquam tamen i-
psis genuinis & germanis exemplaribus Hebraicis librorum V. Test. & Gracis N. Test. präferri vel agnari, cum id absque sempiterno Ecclesia dispendio fieri non possit.

XXII.

Est n. multis in Loci partim Librariorū incuria & insci-
cia ita mutata ac mutilata; partim seculorū subsequentiū vicio
ita depravata ac corrupta, ut ad fontes relata orium suum mi-
nimè agnoscat; quod quidē multis ostendi posset, verū paucā
delibasse sufficiat: Genes: 9. 6. ubi habetur in Hebraico textu,
Qui fuderit sanguinem humanum, per hominem fundetur
sanguis illius; in veteri versione omissum est, per homi-
nem.

XXIII.

Similiter Genes: 3. 17. translatum est, Maledicta terra
in opere tuo, pro, Maledicta terra propter te. Item Psal: 2. 12.
Apprehendite disciplinam, pro, Oculamini sive adorate fili-
um; & Psal: 31. 9. In chamo & frano maxillas eorum astringe,
qui non approximant ad te, cum tamen vertendum fuis-
set, Lupato & frano os eorum astringendum est, ne accedant
ad te. Item Psal. 68. 23. convertam in profundum maris, pro,
Reducam è profundo maris. Sic Psal. 131. 5. pro victu, habe-
tur, vidua.

XXIV.

Neque sane N. T. versio erroribus atque vitijs caret, ut
ex illo Christi dicto Matth. 9. 13. Non veni ad vocandum iu-
stos, sed peccatores, patet; vox enim illa suavissima, Ad pœ-
nitentiam, plane est pratermissa. Idem videre est Rom. 11. 6.
ubi hac elegantissima sententia; (Sin ex operibus iam non ex

B gratia

gratia, alioquin opus iam non est opus, quod aliquid contra pontificios facere videtur, omnino est praterita.

XXV.

Sic, Luc. 15.8. Pro Everit domum, legitur Everit domū: Ioh, 16. post hæc verba, Persequabantur Iudæi Iesum, de sunt illa, Et quærebant illum interficere: Et c. 21. 22. ver sum est; Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Cum tamen iuxta Græca lingua veritatem transferendum fuisset, Si eum volo manere donec veniam quid ad te: Et alia quamplurima, quæ hic singula enumerare, non est locus.

XXVI.

Quin & hoc ipso Antiquissimæ & purioris Ecclesie vistigiis, quæ omnes versiones inter se conferre, & ad ipsos fontes examinare solita est, semperq; fontes rivulis puriores esse, atq; idcirco preferendos indicavit, insistimus. Augustinus enim in lib: de vera Relig: inquit, Locutio divinarum scripturarū secundum cuiusq; lingue proprietatem accipienda est: Atq; illud ipsum idem Augustinus multis in locis testatur, ut de doct: Christiana, lib. 2. c. 11. 12. 15. Item, Epist. 59. & lib. 1. de sermone Domini in monte. Contra Faustum, b. 11. & alibi.

XXVII.

Verum in re manifestâ & dilucidâ pluribus opus non est; ipsi namque pontificij errorem suum procul dubio vident & tacere agnoscunt; Est tamen non omnino nulla causa, ob quam illitam pertinaciter suæ opinioni insistant. Animadveriunt enim plurima in vulgata editione loca reperiri, quæ à genuino & nativo ser. su partim vocabulorum, imo integrarum sententiarum mutatione, vel literâ, vel additione: partim pessimi expositione translata in aliud depravata, & ad suos errores stabiendos vobenter tracta & inclinata sunt.

XXVIII.

Quoram de genere illud, Gen. 3. 15. est, ipsa conteret Casius
pub

partium, cum tamen iuxta proprietatem lingue Hebraicæ
IPSE, vel in neutro genere IPSVM, fuisset transferendū:
Sic pro stabiliendā sanctorum invocatione adseritur illud, Psa.
105.1. Laudate Dominum in Sanctis eius, cum in Hebreo textus
habeatur vox שְׁמָךְ quæ sanctitatem vel sanctuarium non San-
ctos denotat.

XXIX.

Illud Gen: 4.13. Maior est iniquitas mea, quam ut veniam
merear, pro confirmandis operum meritis adfertur; tametsi
vox hebraea non mereri aliquid, sed ferre sive consequi signi-
ficet. Pro iisdem & illud, Heb: 13. v. 16. Talibus hostijs pro-
meretur Deus, proferri solet; verum ex fontibus idipsum fa-
cile refutatur verbum enim quod illic habetur εὐαγγεῖται non
meritum sed delectationem indicat.

XXX.

Ne vero Pontificij ex testimonio Apostoli, Rom. 4. 2. di-
centis, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod
glorietur, sed non coram Dco, erroris convincantur, operibus
adisci particulam LEGIS consultum sibi fore iudicarunt, at
huc modo sub voce Legis fucum nobis facere possent, opera hic
saltem Legis intendi Cœrimonialis contendentes: Eiusdem
generis plurima passim leguntur, Ioh. 5. 5. I. Gen. 6. 5. &c. 8. 21.
Ioh. 14. v. 26. Eph. 6. 13. Heb. 9. 28. &c.

CAPUT QUARTUM.

Penes quem sit authoritas interpretandi atq; iudicium,

XXXI.

Et tantum quidem de primâ nostrâ disputationis parte;
Sequitur nunc, ut secundâ, que de interpretatione agit scriptu-
rarû, accedamus. Principio a. sciendū est donū interpretationis
nisi in Ecclesia nullibi reperiri, cū homo animalis ea quæ sunt
Spir: minimè intelligat; Spiritualis v. omnia dijudicet. 1. Cor.
2. 14. Præterea etiā censemus neminē sua prudentie innixum

B 2 scriptu-

scripturam interpretari debere. Neque eam veram esse explanationem iudicamus, quam totius veneranda Antiquitatis & purioris Ecclesiae testimonia deficiunt.

XXXII.

Quid ergo? Nihilne nobis hac in parte controversi cum pontificijs intercedit? Certe plurimum. Est enim questio hac vel gravissima maximiq; momenti, præsertim cum scripture non sint in verbis, ut inquit Hieronymus in c. 1. ad. Galatas, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla; non in sermonum solijs, sed in radice rationis; Et vel idcirco summa consideratione digna, quod in illa si pontificij victoriam obtinerent, haud difficulter quævis Scriptura loca in contrarium sensum detorquere, & humani cordis figmenta loco doctrine cœlestis Ecclesiae obtrudere possent.

XXXIII.

Vt igitur hic locus quantâ poterit perspicuitate à nobis peractetur, in duo illum membra dispescemus, quorum alterum de Interpretate aget Scripturarum; alterum causas interpretationis inquiret; ubi potissimum, Penes quem potestas iusque & authoritas interpretandi sit, perpendemus, Quibusq; ad verū & genuinum sensum medijs perveniri possit, dispiciemus.

XXXIV.

Summum verò ius, iudiciumq; & authoritatem interpretandi soli S. S. in scripturis loquenti ut auctori attribuimus; ipsius enim instinctu atque impulsu cum locuti sint Sancti Dei homines 2. Pet: 1. 21. 2. Tim. 3. 16. Quem ipso melius scripture mentem sensumq; tenere putabimus? Quis non eius potius quam alicuius hominis iudicio stare volet? Præsertim cum ea omnia, quæ in summo controversiarum Indice atq; Legitimo scripturarum interprete requiruntur, nisi in hoc solo in nemis reperiantur.

XXXV.

Quandoquidem verò S. S. non immediate nobiscum, sed mediante

mediante Scripturâ loqui decrevit, idcirco omnem suam voluntatem, cunctâq; qua nobis ad salutem iudicavit esse necessaria, in Scripturis revelavit, tamq; perspicue & dilucide proposuit, ut ipsorum sensus non aliunde propter nimiam obscuritatem peti debeat, sed ex ipsis scripturis quam optimè haberi atque deduci possit; atque ideo in ipsam tanquam propriam vocem controversias Religionis decidendi ius consulit & autoritatem.

XXXVI.

Est namq; Sacra scriptura deotheus & nihil aliud quam vox ipsius Dei in ipsa loquentis, tantaq; efficacia, ut vox cœlestis patris in baptismo filij sui Matth: 3. 17. Marci 1. 11. & in monte Thabor, Matth. 17. 5. Luc. 9. 35. dicentis, Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite, ad nostras aures ipsius operâ pertingat: neq; enim illi qui tum coram aderant, filium DEI audire solum iussi sunt, sed & nos, quiq; nobis defunctis ad finem usq; mundi nascentur.

XXXVII.

Quin & Paulus expressè os atq; sermonem scripture tribuit, Rom. 3. 19. dicens, ὅσα δὲ νόμος θέλει τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ Quod Petrus etiam testatur scripturam appellans λόγον προφητικὸν 2. Pet: 1. 19. Et Nicodemus iudicium sive condemnationem Legi attribuit, Ioh. 7. 51. quæ Legi mutare haudquam competit: & servator ipse scripture vocem atque sermonem, Paulus libro Esiae clamore, Rom. 9. 27. transcritbit. Ioh. 7. 42.

XXXVIII.

Hinc papistarum nefanda patet audacia, summaq; in scripture divinam blasphemia, qui ipsam, literam non mutam solum, sed mortuam esse dictitare, omniq; vi atque execrari spoliare non erubescunt.

XXXIX.

Cum igitur Deus ipse in scripture loquatur, merito eam

B 3

u2



et vocem divinam amplexamur, ex osculamur, veneramur
eiusque dictamen, (cum errare non possit) nobis sequendum, i-
mitandumque proponimus. Atqui (ita enim obijciunt Adver-
sarij) scriptura est obscura, multisque in locis ita perplexa,
intricata, ut inde te expedire non possis; unde ergo verum eius
atque genuinum sensum percipies?

XL.

Respondemus, Non quidem à nobis negari, scripturas mul-
tis in locis obscuras esse, atque explicatu difficiles; interim ta-
men hoc nos constanter asserere, ea omnia, quae nobis ad salva-
tem sunt necessaria, apertissimè in ijs contineri; Addo & hoc,
Nihil ferè de illis obscuritatibus erui, (ut inquit B. Augusti-
nus) quod non planissimè dictum alibi reperiatur; ex quibus
verbis colligitur intricata scriptura loca per manifestiora &
magis perspicua explicari debere: atque ita consequenter eam
optimam esse scripturae interpretationem, quae ipsius scripturae
nititur fundamento.

XL I.

Hinc itaque cognosce, unde verus scripturae sensus peti debe-
at; non ex iudicio humanae rationis, quae caca est in rebus di-
vinis; neque ex hominum authoritate, quae vera & sane doctri-
nae pestis, est certissimaque pernicies: Sed ex ipsa scriptura Sa-
cra, in qua S.S. voluntatem suam nobis patefecit, ipsamque opti-
mum suiipsius interpretem constituit; idque asserimus non hu-
mana innixi authoritate, sed divina; firmissimisque, ut ex se-
quentibus patebit, suffulti argumenis.

XL II.

1. Quod si enim à nostris stare partibus Servatorem ipsum pro-
batū diderimus, quis hoc argumentum non irrefutabile & in-
victum fatebitur? Atqui Servator noster Christus S. scriptu-
ram non solum more Papistarum non sprevit, sed etiam tanti
eius autoritatem fecit, ut ex eâ Divinitatem suam asserere
2019

non dubitaverit. Ioh. 5. 39. Quanto igitur magis nos in eius authoritate ac quiescemos? Et postmodum versu 46. istam Mosis Prophetiam, quam, Deut. 18. 15. descriptam legimus, ad se accommodat, nostram hoc ipso sententiam vel maxime confirmans: Vnde enim istius Mosaicæ scripturæ sensum certius quam ex hoc Christi testimonio colligere possumus?

XL III.

Sic Christus Sadduceos erroris arguit propter ignorantiam scripturarum, Matth. 22. 29. atq; veritatem præciput istiæ fidei nostræ articuli de mortuorum Resurrectione non aliunde quam ex scriptura evincit, versu 32. atq; ita scripturam per ipsam exponit & interpretatur.

XL IV.

2. Propheta certè & Apostoli, Domini & Magistri sui vestigijs insistentes, ab hominibus ad scripturam nos vocant: ad hanc dogmata qualibet examinari, Interpretationes quaslibet exigi & dijudicari volunt. Sic Esaias nos ab hominum traditionibus avocans regulam atque normam præscribit Legem & Testimonium. Esa. 8. 19. 20. Et Paulus iubet nos prophetias non aspernari, sed omnia probare, id verò quod bonum est tenere, 1. Thess. 5. 20. 21. At iuxta quam regulam? illam nos Petrus docet in 1. Epist. 1. 19. dum ait, rectè Christianos facere, quod sermoni prophetico attendunt.

XL V.

Similiter & Apostolus Iohannes in 1. Epist: 4. 1.hortatur Christianos ut Spiritus probent, an ex Deo sint. Sed unde quæso? Ex fructibus ipsorum, teste Christo, Matth. 7. 17. qui certè non sunt alij quam doctrina ipsorum, eiusq; interpretatio, prout patet ex eodem Iohanne c. eodem v. 2. 3. In dijudicandis autem fructibus exemplum imitabimur Berœensium, qui Pauli doctrinam ad Scripturam veluti lapidem lydium probabant, Act. 17. 11.

3. Comment

XLVI.

3. Commentatorum hic solus finis & scopus propositus est, ne aliquem authorem illustrent, explicent, & veram eius mentem indagent; Vnde eorum Commentarij Explicationes dici meruerunt. Iam vero quis ignorat Scripta Prophetica & Apostolica nihil nisi expositiones esse & illustrationes Scripturæ Mosaicæ, in quâ omnia quidem, quæ ad salutem aeternam sunt necessaria, continebantur, tamcisi pro ratione V. Testam: obscurius, partim involucris vaticiniorum implicata, partim Leviticis Ceremonijs & Sacrificijs adumbrata; quæ omnia eō dilucidiora reddebantur, quo magis adventus N. Testamentis appropinquabat.

XLVII.

Solent præterea commentarij inter se collati plurimum Lucis, & authori, quem explicandum suscepereunt, & sibi invicem afferre, seq. mutuo illustrare, & imprimis priores à posterioribus Lucem mutuari haud exiguam: Quod cum ita sit, Quis scriptis Propheticis & Apostolicis, quæ unum & cundem sapiunt authorem, omnem detrahet communionem? Et mutuam Coniunctionem atq. explicationem, quam in alijs Scriptis summae esse concedit, eam in divinis locum habere non posse contendet?

XLVIII.

Res autem ipsa testatur ita Sacram scripturam erga se esse affectam, ut nulla eius pars sit, quæ roti corpori non aliquid adferat Lucis: Ita enim primum Decalogi preceptum multis in Locis explicatur, & imprimis, Deut: 6. & c. 10. vers. 12. 13. Matth. 22. 37. Luc. 10. 27. Secundam tabulam interpretatur Christus, Matth. 5. & 6. &c. Totum vero Decalogum per omnes suas partes explicant, exponunt, illustrant, Ipse Moses in omnibus suis libris & præcipue in Deuteronomio; huncque insecuri Propheta & Apostoli, Quorum mutuam declaracione

&

¶ explicationem Matthæus testatam facit, dum illud Micheæ
5. 1. Et tu Bethlehem Iuda &c. Christo accommodat, c. 2. 6.
Idem videre est Hierem: 31. 15. Matth. 2. 18. Psal. 132. 17.
Luc. 1. 69. Malach. 3. 1. Matth. 15. 10. Psal. 2. 9. Heb. 1. 5. &c.

XLIX.

¶ Occurrit etiam nobis in auxilium venerandus ille san-
ctorum Patrum chorus, quorum testimonia, si ratio instituit
pateretur, quamplurima accumulare possemus, sed de pluribus
paucæ sufficiant. Irenæus lib. 4. adversus Hæres. c. 63. Legiti-
ma, inquit, ¶ minime periculosa scriptura expositio est secun-
dum scripturas ipsas. Et Augustinus lib. de Nup. ¶ concupisc.
c. 33. sic. scribit: Ista controversia (puta de quâ illic loquitur)
iudicem requirit; iudicet Christus: Et paulo post; iudicet
cum illo ¶ Apostolus, Quia in Apostolo ipse loquitur Christus.

L.

Basilius summam decidendi & definiendi controversias
authoritatè scriptura tribuit, in Epist: 80. sic scribens. Ἡ δέ οὖν εὐ-
στόχιον διατησάτω γραφήν παρ' ὅις ἀνέυρεθκε τὸ δόγματε συνώ-
δα τοῖς δείοις λόγοις, ἐπὶ τότοις ἔξει πάντως τὴν ἀληθείαν ἡ φῶς.
Gerson de commun: sub utraq; specie his verbis nostram sen-
tentiam confirmat; Scriptura sacra est regula fidei, contra
quam bene intellectam non est admittenda hominum authori-
tas. Et in Tractatu, Quæ veritates sunt retinenda, ait, Scri-
ptura exponit regulas suas per se metipsas secundum diversos
passus Scripturae.

LI.

Itaq; cum Christus ipse & dictis & factis illam scriptura
explicationem quæ ex scripturâ ipsâ deducitur, confirmet;
Prophetæ & postolos ab hominum avocantes autoritate
regulam prescrivant legem & Testimonium. Ipsa deniq; expe-
C rientia

rientia modum hunc interpretandi Apostolis ipsis usitatum fit
esse maximeq; illustrem testetur; cumq; venerandam Anti-
quitatem & puriorem Ecclesiam illo usum esse constet; Quis
tantis rationibus commotus non utroq; pede in nostram ibit
sententiam?

LII.

Ex iam dictis constat quanta sit Rom: Pontificum non in
Ecclesiam Christi solum, sed etiam in ipsum S. S. vocemq; eius
Sacram scripturam Tyrannis, blasphemia, fraus, dolus: istam
enim quam soli S. S. sacraq; scripturae convenire certum est, au-
thoritatem atq; iudicium sibi merâ fraude vendicant; Quin
& tantum sibi ius in scripturam afferunt, ut non sua dogmata
ad ipsam exigi, sed illam potius ad præconceptos suos errores
stabilendos inflecti velint; quod tametsi illi (veluti sunt hypo-
critæ) verbis gravissimè negent; factis tamen id ipsum abun-
de testantur.

LIII.

Quod si enim alia istius fraudis atq; Tyrannidis documen-
tadar in non possent, quam vel illud Hosij Cardinalis (qui lega-
tus pontificius in synodo Tridentina fuit) quod scriptum legi-
mus in libello ipsius de expresso Dei verbo, indicio certè esset i-
psis nequaquam falsum crimen impingi: Sic enim scribit: Si
quis habet interpretationem Romanae Ecclesie de loco aliquo
scripturae, etiamsi nec sciat, nec intelligat, an aut quomodo cū
scripturae verbis conveniat, ille tamen habet ipissimum ver-
bum Dei.

LIV.

Sic assentatores Rom: aulæ multa etiam illustria scriptis
re testimonia de Christo ad suum Antichristum Rom: accom-
modarunt, ut illud Psa. 8. omnia subiecisti sub pedibus eius &c.
de Papa interpretari non sunt veriti, nihil obstante quod in
Epist. ad Heb. c. 2. de Christo vaticinatum esse hoc Psalmo Pro-
phetam

phetam asseratur; minime attendentes quam haec sua exposi-
tio non ridicula solum, sed etiam impia sit. Illud quoque Christi,
Ioh 12.32. Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me; sic in-
terpretantur; cum exaltatus fuero, hoc est, cum ad papalem di-
gnitatem evectus fuero: Omnia scilicet Regna mundi traham
ad me. O impiam! o blasphemam interpretationem!

LV.

Consideratione verò dignus est astus Rom: Antichristi,
qui ut huiusmodi suas expositiones simplici populo primum ob-
trudere, postmodum vero persuadere posset; in Theatrum Ec-
clesie introduxit monstrum illud, monstrum, inquam, horren-
dum, ingens, maximeq; perniciosum toti Ecclesie: Fidem, di-
co, implicitam, quâ homines non aliter ac bruta animalia
absq; ratione feruntur, atq; omnia quæ sciunt queq; ignorant,
sub lege conscientiae credere jubentur.

LVI.

Nos contrâ, tametsi in hominibus agrestibus eximiam quandam & solidam mysteriorum divinorum cognitionem nō requiramus, illud tenentes quod Augustinus dicit, contra Epistolam Fundamenti, c. 4. cæteram turbam non intelligendi vacitate, sed credendi simplicitate tutissimam fieri: tamen à tam stupidâ, atque omnino bruta sacrarum literarum ignorantia merito abhorremus; Et huiusmodi fidem implicitam Christianæ professionis hominibus cuiuscunq; tandem sorbis indignam iudicamus.

LVII.

Iubemur namq; omnes in universum scripturam scrutari, atq; illinc mysteriorum divinorum certitudinem colligere,
Ioh. 5. 39. Et mandata divina in corde nostro conservare, ea
quoque meditari sedentes, consurgentes, dormientes, ambu-
lantes; ligare ipsa in manu nostrâ & scribere in pustibus no-
stris. Deutonom. 6. vers. 6. 7. 8. 9. & cap. 11. vers. 18. 19.
20. Apostolus quoque Paulus vult Christianos sapientes

esse ad bonum Rom. 16. 19. & Salvator ipse omnibus Christia-
nis sub persona Apostolorum imperat ut prudentes sint, sicut
serpentes, & simplices sicut columbae, Matth: 10. 16. Quae pru-
dentia cum fide implicita Romanensem consistere nullo modo
potest. Denique praxis totius antiquissime Ecclesie hanc pon-
tificorum fraudem (si argumentis ageretur) facile detectam
nullo everteret negocio.

L VIII.

Eò verò gravior reuinisq; toleranda est hæc servitus pa-
pistica, quò magis eius propugnatores Scripturæ sacrae vim atq;
authoritatem enervare laborant, atq; idolum suū Papam Rom.
ipſi voci sacrae scripture præponere student & præferre; cum
tamen Christus ipſe sacrae scripture authoritatem multis para-
fangis maiorem esse autoritate veræ etiam Ecclesia testetur,
Ioh. 5. vers. 34. 36. 39. nedum Antichristianæ.

CAPUT QUINTUM. DE MEDIIS, QVIBVS VERVS SCRIP- TURÆ SENSUS INDAGATUR.

L IX.

Sed viderint ipsi Pontificij, quam fideliter ovium Christi
curam agant; Nos in instituto progrediemur, & media tan-
dem, quibus verus Scripturæ sensus indagari atque invenire
possit, breviter inquiremus.

L X.

Varia media atque plurima à scriptoribus & veteribus
& recentioribus enumerantur; ab alijs quidem plura, ab alijs
pauciora: Nos authorem nostrum, quem discutiendum pro-
posimus, secuti, tribus potissimum contenti erimus, 1. Ut omnis
interpretatio verbis scripture consentiat: 2. ut circumstantijs
textus respondeat, 3. ut analogia fidei consona sit. Ad hæc enim
tria cetera omnia commodissime referri posse videntur.

61. Primum

LXI.

Primum igitur quod attinet medium, diligenter summoq; studio Originalium linguarum cognitio appetenda est, Hebraicæ quidem propter V. Test. Græcæ vero propter N. T. Quantos enim errores in Ecclesiam introducerit linguarum ignorantia, id Papistarum dogmata quamplurima demon- strant: Quantis erroribus propter linguarum ignorationem implicati fuerint alioquin p;ij Patres, id ipsorum monumenta testantur: Quanta deniq; & quam multa eandem ob causam in vulgatâ editione pessimâ fide translata sint, id in priori nostræ disputationis parte paucis quidem sed evidenter ostensum est.

LXII.

Emphasis certè vocabulorum in istis linguis tanta est, ut alia quacunq; linguâ non tam facile exprimi possit. Unde si eri videmus, illud sape ex fontibus erui, quod versanti tantum in lectione versionum ne quidem in mentem ventre potuisse. Hinc multi Patres alioquin summè eruditissime circa variorum locorum explanationem graviter torserunt & excruciarunt; Cum tamen linguarum si fuissent periti, nullâ se inde difficultate expedire potuissent.

LXIII.

Deinde & illud in scripture verbis studiosè observandum est, sinitne verba propriè & vñ tò ἐντὸν accipienda, an vero impropiè & figuratè. Illic etymologia observari solet; Hic Allegoriam, Tropologiam, & Anagogem perpendere convenit. Hac enim si inter se confundantur, quin errorem falsamq; pariant interpretationem, caveri non potest.

LXIV.

Secundum medium quo genuinus scripture sensus haberi possit, proposimus considerationem circumstantiarum textus, quarum de genere sunt Tempus, Persona, Res, Materia, Fi-

niis, Locus, Antecedentia, Consequentia &c. de quibus Cyrillus in Iohannem lib. 8. sic scribit; Ante omnia quando locum scripturæ intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt: Tempus quando scriptum est quod dicitur: Persona quæ dicit, vel ad quam aut de qua dicitur: Et Res propter quam & de quam dicitur, sic enim absq; errore sensum poterimus verum investigare.

LXV.

Et Hilarius, lib. 4. de Trinitate, intelligentia, inquit, di-
ctorum ex causis sumenda est dicendi; Et lib. 9. Dictorum in-
telligentia aut ex prepositis, aut ex consequentibus exspecte-
tur. Et sane est huic modi admodum necessaria consideratio,
imprimis propter Bestiæ Rosm: corruptelas, quæ sàpè circum-
stantijs textus dat à operâ non animadversis, mirabilem eamq;
falsam ex scrinio pectoris sui nectere consuevit interpreta-
tionem; quod ex istius sententiæ depravatione patet, quæ habe-
tar. Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:
Hinc pontificij operum merita iustificare concludunt, non at-
tendentes cui & quâ occasione permotus Christus hæc dixerit.
Et ex quamplurimis alijs quæ enumerare instituti ratio non
concedit.

LXVI.

Ad hoc secundum medium referri quoq; debet locorum
collatio, quâ, si studiose observetur, multa obscurissimè dicta
explicari poterunt & expediri. Quam enim præstans hoc sit
medium ad verum scripturæ sensum indagandum id ex unico
Christi dicto, Luc. 18. 24. manifestum evadit. Sic enim inquit
Servator postquam divitem responso suo tristem dimisisset,
Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intra-
bant. Facilius est Camelum &c. ex quo colligi potest divites
selvari impossibile esse.

LXVII.

Verum

Verum conferatur hic locus cum explicatione Christi quæ habetur Marci 10. 24. ubi Servator seipsum his verbis interpretatur. Difficile est eos qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi: vides quantâ Luce loca quantumlibet obscurissimi collatione factâ perfundantur: Quin & Apostolus Paulus mandatum dedit Christianis, ut duo aut tres inter se de mysterijs fidei colloquerentur, 1. Cor: 13. 29. quod certè absq; scripturarum comparatione haud convenienter fieri potest.

LXVIII.

Tertium deniq; medium esse diximus, ut omnis interpretationis sit analogia fidei, ut inquit Paulus, Rom. 12. 6. Et certè ex præcipuis hoc unum est, quod si diligenter perpendas, & in quorumlibet locorum explicatione observes, à veritatis tramine exorbitare nullo modo poteris.

LXIX.

Nullus enim est scripturæ locus quantalibet obscuritate insignis, quin si eum iuxta fidei analogiam exponas, error facile evitari & declinari possit, ut exempli loco sit nobis istud Paulinum, 1. Cor. 3. 12. 13. 14. 15. Quod si quis superstruxerit super fundamnatum hoc (scilicet Iesum Christum) aurum, argentum &c. Qui locus tametsi in se obscurus & intricatus sit, tamen si ad analogiam fidei exigatur, omnis obscuritas discussa evanescet. Fundamentum enim unicum est Christus, vers. 11. huic superstruunt alij quidem aurum, argentum, lapides preciosos, id est, Capita doctrinae Christianæ. Alij ligna, fænum, stipulam, id est, traditiones humanas nullo verbo Dei nitentes, idq; ex infirmitate & imprudentia: Cuiusq; verò opus probabitur igne scilicet temptationis & afflictionis. Alter nāq; hunc locum explicare analogia fidei non permittit.

LXX.

Intercetera verò hoc nullo modo est prætereundum scripture verum sensum absque oratione perpetuâ & assiduis

duis precibus acquiri non posse. Homo enim per se cum in mysterijs divinis non aliter ac talpa ad splendorem Solis cæcitat, absq; spiritus sancti illuminatione proficere omnino non potest; Quapropter à Domino iubemur petere cum fiducia nihil habentes, Iacob. 1. 5. certò id adepturi iuxta promissum Christi, Matth. 7. 7. Marc. 11. 24.

LXXI.

De hoc ipso preclare Origenes inquit, Homil. 17. in Exod: Non solum studium nobis adhibendum est ad discendas sacras literas, verum & supplicandum Domino, ut ipse accipiens librum signatum dignetur aperire, ipse enim est qui aperit mentes, ut intelligantur scripturae. Similiter Augustinus de scalis paradisi c. 2. Lectio, inquit, inquirit, Oratio postulat, Meditatio invenit, contemplatio degustat. Et Hieronymus ad Latam ait, Orationi lectio, lectioni succedat oratio.

LXXII.

Consulendi quoq; à nobis sunt doctorum virorum commentarij, qui si rite adhibeantur, inter se conferantur, & cum iudicio legantur, dici vix potest, quantum versanti in Bibliorum lectione allaturi sint adiumenti. In ijs vero legendis & evolvendis merito Augustinū imitabimur, Qui in Epist. 19. scribit, se scriptores Ecclesiasticos ita legere, ut quantilibet sanctitate doctrinaq; prepolleant, non ideo verum putet, quia ipsi ita senserunt, sed quia vel per anchoras Canonicos, vel probabilitate, quod à vero non abhorreat, persuaderunt.

CAPUT SEXTUM.
DE INTERPRETE SCRIP-
TURARUM.

LXXIII.

Restat nunc ut quid nobiscum Papistica cohorte de scriptu-
rarum

garum interprete certaminis sit, paucis proponamus. Namque
huc tandem causâ ad desperationem adactâ delabuntur, do-
num interpretationis in Ecclesia necessarium solis Episcopis
rasaq; clericorum turba, imprimis vero Rom: Pontifici tran-
scribentes; Parum interim estimantes, quanto dono Christi
spolietur atq; destituatur Ecclesia.

LXXIV.

Aique tametsi hæc Antichristi iniuria atque sacrilegium
intolerabile sit, minimeq; ferendum; est tamen aliquid gra-
vius, quod absq; præsentissimo certissimoq; vera & sanæ do-
ctrina periculo atque aeterna salutis dispendio admitti non po-
gest; ipse enim pro consuetâ Tyrannide non hereditario suo so-
lum iure privans Ecclesiam, donum interpretationis soli sibi
vendicat, verum etiam tantâ sc̄e fingit interpretandi prædi-
sum potestate, ut omnes suas interpretationes, sive cum scri-
pturis consentiant, sive ab ipsis dissentiant, passim & promi-
scue, omni absq; examine atque dijudicatione suscipi, recipi,
acceptari iubeat.

LXXV.

Omnis quoq; Patrum tam bonas quam malas exposicio-
nes (dummodo aliquid pro ipso facere videantur,) contra ipso-
rummet Patrum manifestam mentem, Ecclesie Christi obtru-
dere non veretur; hac suâ Tyrannide vel maximè testificans
se illum, de quo B. Paulus scribit in Epist. 2. ad Thess. 2. venisse
Antichristum.

LXXVI.

Magnum vero est discrimen inter D. Pauli & hanc, quam
recensuimus Pontificiorum sententiam: Ipse enim in 1. Cor. 12.
11: affirmat S. S. distribuere, donum interpretationis cuique
prout vult; unde manifestum evadit donum hoc præstantissi-
mum non ad certam sedem, certosq; homines esse alligatum,
certiore loco, ut impie fingunt Adversarij, affixum. Idque
D. ipso

ipso facto testatus est Dominus, in V. Test: qui sape prætoriis ordinarijs sacerdotibus & pontificibus tribus Levi, ex alijs tribus Prophetas & voluntatis sue interpretes excitavit, suorum spiritu abunde implevit, ut patet ex vocatione Samuelis, 1. Sam. 2. 35. Elisei 1. Reg. 19. v. 19. & 20. Esaiæ, Esa. 6. 8. & c. 49. 1. item exhibitoria Danielis & aliorum.

LXXVII.

Prætoriam autem illam interpretandi potestatem profsus evertit summa illa Pauli humilitas, qui suas conciones à Berœensibus examinari permisit, Act. 17. 11. Et Christianos omnia probare voluit, id verò quod bonum est tenere. 1. Thes. 5. 21.

LXXVIII.

Patres certè quod attinet, noluerunt illi suas expositiones veluti oracula accipi, ut manifestum est excitato à nobis, Thesis 2. dicto Augustini, ex Epist: 19. quod etiam Origenes testatur in c. 2. ad Rom: dicens. Hæc de circumcisione eâ lege sunt dicta à nobis, ut si quis melius & rationabilius dixerit, illa magis quam hæc nostra teneantur. Idem vult Hieronymus, ad Minerium & Alexandrum sic scribens: Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere que bona sunt, & à fide Ecclesie Catholice non recedere: Et in c. 2. Micheæ, videtur mihi, inquit, sic posse sensus redi, si tamen prudens lector nostræ rationi acquieverit.

LXXIX.

Itaque nos tamen si donum hoc Interpretationis non omnibus dari, utraque manu concedamus; Quin etiam ipsi contendamus, ut scripturarum in Ecclesia interpretes sint, ipsam exigere necessitatem: tamen donum illud certo loco, certaque sedis hominibus (quod Ecclesia in præiudicium fieri necesse est) transcribere nec audemus nec possumus.

89. Promissio

LXXX.

Promissio enim Christi tam perspicua, cedoq; illustis est, ut nullā Sophisticā vel cavillo eludi possit: Recipit namque sese Spiritum sanctum cunctis daturum pententibus ipsum, Luc. 11. 13. Matthæ. 7. 11. omnesq; petere iubet sub certa spe id quod rogatur, consequendi, Marc. 11. 24. Luc. 11. 9. Matth. 7. 7. Iacob: 1. 5. & 6. Quapropter firmissimis his premissionibus confisi, quemlibet Christianum legitimis medijs utentem per gratiam S. S. veram scripturā mentem atque sensum assequi posse censemus, statuimus, concludimus. Dominus noster

I E S U S Christus conservet nos in veritate, ipsius sermo est veritas.

A M E N.

μόνω τῷ δεῖξεν.



116.

99 A 6902



PA>OC

Retro

VDTA



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ATIO V. EXAMINE TRIDENTI-

NO CHEMNITIO

secundo Decreto

ssionis,

I. Capita.

antis Disputationis,
in Lingua populari,
rum.

interpretandi atq; iudicium
pturæ sensus indagatur.

ioi exutiendam
sidio

GESNERI

& Professoris in Aca-
Pub: proponit

VI OXENSTIERN

YECUS.

die 10. Februarij.

20.

επιλύσεων γίνεται

ERGÆ,

angi Meisneri,

89.

J